

intelligentes, quid sit iustificatio, aut quomodo fiat. Corinthij antea iustificati, multa acceperant excellentia dona. Feruebant initia, ut fit. Deinde coeperunt inter eos existere similitates, ut significat Paulus, coeperunt fastidire bonos doctores, Ideo obiurgat eos Paulus, reuocans ad officia dilectionis, quae etiamsi sunt necessaria, tamen stultum fuerit somniare, quod opera secundae tabulae coram Deo iustificent, per quam agimus cum hominibus non agimus proprie cum Deo. At in iustificatione agendum est cum Deo, placanda est ira eius, conscientia erga Deum pacificanda est. Nihil horum fit per opera secundae tabulae.

Sed obijciunt praeferrí dilectionem fidei & spei. Paulus enim ait, Maior horum caritas, Porro consentaneum est maximam & precipuam virtutem iustificare. Quancumque hoc loco Paulus proprie loquitur de dilectione proximi, & significat dilectionem maximam esse, quia plurimos fructus habet. Fides & spes tantum agunt cum Deo, At dilectio foris erga homines infinita habet officia, tamen largiamur sane aduersarijs, dilectionem Dei & proximi, maximam virtutem esse, quia hoc summum praecipuum est, Diliges Dominum Deum. Verum quomodo inde ratiocinabuntur, quod dilectio iustificet? Maxima virtus inquit, iustificat. Imo sicut lex etiam maxima seu prima non iustificat, ita nec maxima virtus legis, Sed illa virtus iustificat, quae apprehendit Christum, quae comunicat nobis Christi merita, qua accipimus gratiam & pacem a Deo. Haec autem virtus, fides est, Nam ut saepe dictum est, fides non tantum noticia est, sed multo magis velle accipere, seu apprehendere ea quae in

Q      promissione